

TESTAMENTUM SENIS FACTUM [TestSen]

[«Cumque socii cernerent ipsum pre debilitate et dolore infirmitatis quasi jam mori, cum multo dolore et lacrimarum effusione dixerunt ad illum: “Pater, quid faciemus? Benedicas nobis et ceteris fratribus tuis. Insuper relinque fratribus tuis aliquod memoriale tue voluntatis ut, si Dominus de hoc seculo te voluerit evocare, semper fratres tui dicere valeant et in memoria habeant: Pater noster hec verba reliquit filiis et fratribus suis in morte sua”. Ille autem dixit eis: “Vocate michi fratrem Benedictum de Piratō”. Erat ille frater sacerdos, discretus, sanctus et antiquus in Religione, qui aliquando in cella illa celebrabat beato Francisco; quoniam, licet esset infirmus, semper cum poterat libenter et devote missam audire volebat. Cumque ille venisset ad ipsum, ait illi beatus Franciscus:】

¹ “Scribe qualiter benedico cunctis fratribus meis qui sunt in religione et qui venturi erunt usque ad finem seculi [...] ² Quoniam propter debilitatem et dolorem infirmitatis loqui non valeo, breviter in istis tribus verbis patefacio fratribus meis voluntatem meam, ³ videlicet: ut in signum memorie mee benedictionis et mei testamenti, semper diligent se ad invicem, ⁴ semper diligent et observent dominam nostram sanctam paupertatem, ⁵ et ut semper prelatis et omnibus clericis sancte matris Ecclesie fideles et subiecti exsistant”».

(*Compilatio Assisiensis*, 59: *Fontes francescani*, 1549-51; cfr. *Speculum Perfectionis*, 87: *Fontes francescani*, 1993-4).